

## No. 36. 1352. 10. Febr.

*Bürgermeister, Rathleute und Geschworne zu Pirna eignen dem Melnik'schen Familienaltar zugewendete Gefälle von den Fleisch- und Brotbänken frei von jeder bürgerlichen Belastung.*

In nomine domini amen. Nos Nicolaus Novus Hospes magister civium, Pecoldus Ygel, Nicolaus Institor, Heynricus Sargil, Johannes Wynandi, Cunradus Winkeler, Heynricus Rothechin, Auchzko, Johannes Manewitz, Nicolaus Welczelini, Guntherus Störe, Nicolaus Grosze consules et iurati civitatis Pirnensis recognoscimus publice per praesentes, quod ad altare nostrorum concivium dictorum de Mellnig in nostra ecclesia parochiali in latere contra Albeam de novo constructum atque per discretum et devotum sacerdotem dominum Nicolaum dictum de Mellnig patrum eorundem pia recordationis dotatum ob dei omnipotentis honorem suaeque genitricis semper virginis Mariae in suae animae et animarum progenitorum atque successorum suorum omnium remedium salutare duodecim lapides sepi cum quatuor grossis annui census collatos et sitos in maccellis et scampnis panum nostrorum concivium, utpote septem lapides sepi in quarto maccello numerando ab occidente versus orientem in latere contra Albeam et duos lapides in secundo maccello in eodem latere e contrario modo numerando, in alio vero latere contra meridiem in maccello septimo tres lapides ab occidente versus orientem numerando et in scampno panum, quod est quartum in ordine contra meridiem quatuor grossos ab oriente etiam calculando, liberos solutos et ab omni servitute temporali exemptos donavimus appropriavimus applicavimus et perpetue praesentibus applicamus, ita ut rectori seu officiatori dicti altaris quicumque fuerit dicti lapides sepi cum quatuor grossis annui census dari solvi et derivari debeant de maccellis et scampno panum praenotatis singulis annis in festo beati Martini sine dilatione et dolo quolibet relegato, ut idem officiator seu rector altaris praescripti gaudeat dicti annui census plena et debita possessione. In cuius rei testimonium et roboris firmitatem sigillum nostrae civitatis praesentibus est appensum. Datum et actum anno domini millesimo tricentesimo quinquagesimo secundo feria sexta in die Scholasticae virginis.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Pirna. Das an einem Pergamentstreifen befestigt gewesene Siegel ist abhanden gekommen.

## No. 37. 1352. 28. März.

*König Karl IV. befiehlt den Richtern, Geschwornen und Bürgern zu Raudnitz Leitmeritz Aussig Tetschen Pirna und den Burggrafen auf Königstein und Schreckenstein die Respectirung eines den Bewohnern von Melnik vordem erteilten Schiffereiprivilegii, ut quatuor naves cum rebus et mercibus quibuscunque oneratas in flumine Albeae per ipsius decursum ascendendo et descendendo quoties et quando eis placuerit et expedire videbitur, perpetuis habere debeant temporibus. Datum Pragae a. d. MCCCLII quinto Kal. April. regnorum nostrorum anno sexto.*